





21

Pr. 11. Aug. 29.

DISPUTATIO JURIDICA  
SISTENS PROBLEMA 1709. 1.  
THEORETICO PRACTICUM  
**UTER EX DI-**  
**VERSIS RETRAHEN-**  
**TIBUS POTIOR?**

QUAM

P. 118/ ASSISTENTE DIVINA GRATIA  
*In Inclyta Academia Marburgensi*

Sub

PRÆSIDIO  
**JOHAN. WILHELMI**

**Galdschmiedt/**

J. U. L. & PROFESSORIS EXTRAORDIN.  
MORALIUM & CIVILIUM ORDINARIU.

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALLE

Publicæ Disquisitioni  
Ad Diem 7 Septemb. M DCCIX.

*subsciptæ*


A. & R.

**ERNESTUS WILH. CHRIST,**  
Steinfurto Westphalus.

*Marburgi Cattorum,*

Typis exprimebant Hæred. Johannis Jodoci Kürsneri, Acad. Typogr.

DIPHTATIO TIRDICA  
SISTENS PROBLEMA  
THEORETICO PRACTICUM  
UTER EX DI  
VERSIS ETRAHEN  
TRIBUS ROTIORIBUS  
ASSISTINT DIVINA GRATIA  
IN TERRA AGOGMUS MUNDI  
RÆSIDIO  
JOHAN VITHEIM  
SCHILDCHINIG  
ILLIC PROGRESSUS EXTRAORDIN  
MORTALUM & CIVILUM ORDINARI  
Philippus Delditius  
AE DISU SEPTEMBER MDCCIX  
V E R  
ERNESTUS VITH CHRIST  
SIGILLUM WESPHALIA  
TYPUS EX LIBRIS PETRI JOSEPHI LODEWI FRANCISI VAG THER



SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO.

DOMINO  
MAXIMILIA  
NO HASSIÆ LAND.  
GRAVIO, PRINCIPI  
HERSFELDIÆ, COMITI CAT.  
TIME LIBOCI, DECIÆ, ZIEGEN.  
HAINÆ, NIDDÆ ET SCHAUM.  
BURGI &c. &c. FOEDERATI BELGII BIGÆ  
COHORTIUM PEDESTRIUM CHI.  
LIARCHÆ STRENUISSIMO

PRINCIPI & DOMINO MEO  
CLEMENTISSIMO.



Serenissime Princeps,  
Domine Clementissime.

**J**N communi Europe tumultu, dum contra  
hostes tot gladii stringuntur, dum urbibus  
obscisis tot machina admoventur, dum de-  
nique TE IPSUM in castris arma undi-  
que circumstrepunt, veniam tamen, ut  
confido, temeritati mea dabis mitissimè, si  
audeam chartis his obstrepere & præsen-  
tem ante pedes TUOS disputationem subiectissime deponere.  
Evidem proverbiū est per vulgatum: Artem & Mar-  
tem non bene convenire, atque existimaverit quis, ad castra  
Martis

( o )

Martis non admittenda, qua geruntur in Musarum castris,  
neq; enim bellicos apparatus, hostilia molimina, consiliaq; sagi  
socia permittere, ut iisdem manibus gladii libriq; tractentur.  
At vero quid huic opinomi magis potest adversari, quam opti-  
ma rerum magistra, experientia ipsa? Etenim è gravissimis  
veterum Scriptoribus accepimus, multarum terrarum gen-  
tiumq; victorem Pompejum in ipso civili bello literarum stu-  
diorum delectatum fuisse. Insuper in bello Mutinensi Antonius  
Augustus dicendi artem excoluerunt, ut non solum corpora  
ferro, sed & animos suada vincere assuescerent. Quid?  
quod Alexander Magnus, maximum terrarum orbis Mo-  
narcham Darium bello aggressus, & exercitu hostilern tenens  
agrum, non modo Homero indormivisse, sed etiam in Pratorio  
suo libris in vigilasse & iisdem tertiam noctis partem quotidie  
impendisse legatur. Quæ quidem & alia innumera TE  
CLEMENTISSIME DOMINE haud fugientia mibi  
persuadent fore, ut patiaris meam

inter vicitrices hederam TIBI serpere lauros.

Ut à curis, quas bellum sibi vindicat, non prorsus alienas pun-  
tes, quæ ad Eruditionis sacraria in iisque edita Specimina TE  
cultu vocant submisissimo, dumq; singulare TUAM in literas  
animi propensionem considero, tantam ut Eruditissimos Has-  
sie PRINCIPES in TE redi vivos visuri simus, illa mibi spe  
blandior huic exercitatione eò minus aditum ad castra, ad mi-  
litantem in iis Principem interclusum iri, Principem inquam,  
imitantem doctrinæ sapientiæq; Deam Minervam, quæ sicuti  
mente & hasta præliatur, ita SERENISSIME HEROS,

mente

¶

mento manuq. strenuus egregiorū belli Ducum partes ubiq. tue-  
ris, quos non magis corporis robore, quam consilio & sapientia  
hostes vincere constat, quos Xenophon mentis, quam corporis vi-  
ribus majora peragere affirmat, quo factum, ut Iphicratis, E-  
paminonda, Hannibalis, Cæsaris & his similium belli Ducum  
prudentia posteritatis ad memoriam tantis elogiis transmette-  
re. Quicquid id est ad Clementiam tamen TUAM im-  
primis mihi configiendum censeo, ut eadem disputationem  
hanc non penitus aspernetur, ut si quid humillimo animi docu-  
mento deest, indulgentissime suppleat. Hoc ipsum excitabit  
me ad Numen pro TUĀ totiusque SERENISSIMÆ DO-  
MUS HASSIACÆ salute ardentius implorandum, ut in-  
ter illos qui pro Augustæ Stirpis prosperitate certatim vota  
fundunt calidissima, nemini concedat.

Serenissime Princeps,

Domine Clementissime

SERENITATIS TUÆ,

Subiectissimus servus

ERN. WILH. CHRIST.



Q. D. B. V.

**Q**uod de Legibus & institutis Germanicæ jam  
olim Fridericum I, Imp. dixisse, Radevicus in  
eius gestis *apud Urstisum Tom. I. Script. rer.  
Germ. pag. mihi 467. memorat: Duos sunt qui-  
bus nostrum regi oportet Imperium, Leges  
sancta Imperatorum & ius bonus predecessorum & patrum  
nostrorum, illud intuitu Juris quod hodienum utitur pri-  
vati non minus, quam publici, rerum evidenter suffragan-  
te usu venit. Quemadmodum enim plurima ad Imperii  
statum pertinentia, non tam expressis Legibus liquidò de-  
finita, quam ab observantia & consuetudine diuturnâ po-  
tius dependent, ita jus privatum quod attinet, receptis in  
vim Juris communis venerandis LL. Romanis, ut loqui-  
tur can. nemo *Caus. 16. queſt. 1.* illa receptio haud quaquam  
ita facta quasi solis illis deinceps vivendū, & quicquid olim  
majorum moribus introductum, abhinc cum lance & licio  
explosum foret, contrarium enim, si quis dubio locus esset,  
nō una Constitutionum Imperii, Jus commune & receptos  
mores, rationalibes tamen in vicem jungens, satis evinceret.  
Luculentum hujusmodi juris per mores retenti exemplum  
nobis*

nobis præbet retractus in primis gentilitius, qui antiquissimis quarundam regionum Germaniaæ moribus introductus, vid. Lindenbrog. Cod. LL. Antiqu. Leg. Bajuv. tit. 14. & 16. Sächs. Land. Recht Art. 34. & 62. ac deinceps cum reciperetur Jus Romanu licet ejus intuitu exorbitans esset, retentus, hodiernum unà cum aliis speciebus in plurimis Germaniaæ regionibus observatur. In Hassiâ nostrâ quotidianus usus fori illam observantiam pluriū specierū retractus liquido comprobat Add. exemplū Juris Provinc. Hass. in quo cap. 26. libr. 7v. sic scriptum legiur: Es seynd auch andere mehrere Ursachē welche Näherrauff geben als Blutverwandschaft nemlich Pfand gemein u. Nachbarschaft deswer eines verkaufften Guts halben mit dem Verkäuffer in unzertheilter Gemeinschaft sitzet oder dessen Guts Gegenwechsel oder auch ein ander nechst daran gränz und stossendes Gut hat oder so ihm dasselbe verhypotheciret und zum Unterpfand eingezhan oder verschrieben ist der wird billig einem fremden Kaufner vorgezogen ; quamvis enim, Serenissim: Legislatorum promulgatio & confirmatio eidem nondum accesserit ipsa tamen conceptio quid moribus & usu fori jam obtineat, non uno prodit argumento.

§. II. Enimvero cum in foro nil ferme frequentius usuveniat quam ut plures simul ex eodem vel diversis fundamentis ad retractum contendant, & hic societatem prætentat, ille vicinitatem, alias sanguinis Jure se munitum dicat, alias dominium pactum vel aliud quid alleget; visum operæ pretium fuit, speciminis Academici loco species illas inter se conferre, & cui ex pluribus retractum querentibus, prærogativa competit, inquirere. Ad quod propterea, Divino implorato auxilio me nunc accingo.

§. III.

¶. III. Jus retractus seu primis (qua tamen proprie loquendo ita differunt, ut illud venditionem completam rescindendi, hoc eandem impediendi facultatem denotet; Vid. Dn. Stryck. *Exam. jur. feud. cap. 20. q. 3.*) definitur, jus prælationis certis personis competens ad rem venditam & alicuatam æquali pretio redimendam. Böckelm. *ad ff de Resc. vend. num. 5.* Cumque notissimæ divisione, retractus vel (1.) à jure, scripto, & tum vel lege quo pertinet creditum *l. 16. de reb. auth. iud. possid.* vel Constitutionibus Principum, quo referenda *l. I. C. de metallar.* dominium directum *l. f. C. de emphyt.* retractus territorialis *l. un. C. non lic. habient. metroc.* Et non scripto, qui consuetudini primitias debet, quorsum referas eum qui ex capite consanguinitatis, reunionis, vel communionis oritur, &c. vel (2.) ab homine constituantur idq; vel ultima voluntate: *argum. l. 69. §. 3. de legat.* 2. vel patris & stipulationibus *l. 7. C. de paetis interempt.* qui conventionalis audit. De singulis præcipuarum specierum quantum jus præferentia attinet, reliqua enim ratio instituti non admittit, secundum prælationis ordinem agemus.

¶. IV. Quemadmodum in conflitu legum utrinque quidem validarum, sed ob rei de quâ agitur indolem circumstantias, aut personarum qualitatem inter se pugnantium unicè queritur utra lex potentior, Quintil. *lib. 7. Institut. Orat. cap. 8.* ita in hoc quoque concursum specierum retractus dispiciendum utra potior. Et quoniā illa, quæ publicam utilitatem respiciunt privatorum commodis anteponenda *l. 3. C. de primipilo* primus omnino locus assignandus juri, quod fisco in metallis ex d. *l. I. C. de metall.* competere diximus, vigore cuius metallarius alijsq; cuius nomine metalla eruuntur [secus enim in tertio, qui ea jam

tum acquisita rursus distrahit, & pertinet d. l. r. utpote libertati commerciorum aduersa ad venditionem primam non ulteriore add. Brunn. *ibid. num. 2.*] metallum venditur, illa fisco prius offerre tenetur, qui proinde non solum cognatis vendoris, aliisque proximioribus, sed & creditoribus in subhaftatione ex eodem publicae utilitatis fundamento, potior censendus erit, cum enim fiscus justum metallorum pretium solvat, neque jus percipiendi metallum privatis aliter, quam sub lege retractus concessum sit, creditores nec laeduntur, nec ipsorum tantopere interesse videtur.

§. V. Hanc fisci prærogativam hodiendum obtinere, eo magis dicendum, quo certius est, metallifodinas ad regalia pertinere, quamvis enim nonnulli, quos allegat Limn. *ad A. B. cap. 9 Obs. 1.* in eâ sint opinione, quoad licentiam fodiendi metallum hodiendum obtinere dispositionem juris Romani & Afflictus Dec: 321. scribat, amantibus Deum non esse dicendum per *can. un. 2.* Feud. 56. correctum esse ius vetus, illitamen, non quidem adeo per d. textum (eo quod recensus regalium ibidem factus localis sit & ad regnum Germanorum in Italâ, quod Longobardicum vocatur, tantum pertineat, proindeque ad Imper. Germ. aliave regna pro regula assimi nequeat) quam potius Constitutione Henrici VI. apud Goldast. *Tom. 3. Conf. Imp. p. 362.* ibicun omnis argentifodina ad jura spectet Imperii & inter Regalia nostra sit computata &c. Itemque A. Bullâ *cap. 9.* ubi Imperator speciali privilegio metalli fodinas & mineras Regi Bohemiae & Electoribus concessit; Denique quod alios Regionum Dominos attinet, quibus jure superioritatis territorialis idem jus competit (add. *Recess. Imp. de anno 1551. §. weiter so sezen*) notoria Germania consue-

tu.

¶ ii ¶

tudine, vigore cuius metallia in propriis vel alienis fundis,  
inventa Principi addicuntur, manifestè refelluntur Vid.  
Knichen. de Saxon. non prov. jure cap. 5. num. 109. Stryck de  
J. princip. circq; auris & argentis. c. 2. n. 38. Carpz. de L. R. G. c. 3.  
Sect. XI. Lyncker Rep. 11. Eò magis, inquam, jus illud  
fisco hodie afferendum, etiam quoad metalli fodinas ipfas  
privatis concessas, si illas in totum vel pro parte alienent, ut  
in iis non tantum extrancis, sed & indigenis præferendus  
sit; Notanter inde Seckendorff. **L.** Fürsten Staat  
part. 3. c. num. 3. Ferner entspringet auch aus dem  
Berg Regal der Vorkauf an denen Metallen wel-  
che die privat gewerke gewinnen / sonderlich am  
Silber damit dasselbe destobesser im Land zum behuef  
der Münze gebraucht werden könne add. Zigler. de Jur.  
Maj. Lib. 2. Cap. 19. §. 8. In eo verò JCtis quibusdam supe-  
riorum seculorum, qui sèpius finitima quævis ad vicina  
trahere solebant, subscribendum non est, quando modò  
dicta ad quavis alias res sive mobiles sive immobiles, &  
quod coloni fructus distrahere volentes, illos primum  
domino offerre teneantur, extenderunt: argum: l. 12. §.  
2. 13. l. 67. de usfr. Vid: D. Lynker Dec. 347. Perez ad  
d. l. 1. C. de Metall. cum materia retractus ut plurimum  
sit odiosa, perque eam libertas commerciorum valde  
restringatur; Nisi forte summa ratio, statutum, vel  
conuetudo aliud suadeat argum: l. 2. de nundin: l. un. C. us  
nem, liceat, in emt. spec. quo pertinent ea, quæ de jure  
protimiseos circa res in portum advectas, domino terri-  
torii competente notat Rhetius Diff. de jure Portuum  
cap. 5.

§. VI. Secundum in ordine prælationis obtinent locum,  
qui intuitu dominii præsentis [de præterito vid. ib. 7.]

tam directi quam utilis jus retractus quæsitum habent. Et  
 quidem intuitu dominii directi jus protomiseos, dominos  
 emphyteuseos competit per l. fin. C. de jure emphyt. cu-  
 jus ratio partim in tacita reservatione, quod hunc non aliis  
 benefacere voluerit, partim in favore consolidationis ut res  
 ad pristinam suam naturam redcat consistit. Non autem  
 versa vice idem de emphyteuta dicendum, si Dominus jus  
 suum vendat, cum nihil hac de re constitutum reperiatur.  
 Lynck Dec. 902. De domino feudi vid. Stryck, de S. A. J.  
 Diff. VI. cap. 2. §. 10. Ratione utilis dominii agnati in feudis  
 quibuscumque præferuntur. 2. Feud. 9. v. porrò id-  
 que speciali ratione ut bona in eadem familiâ, pro ejus  
 conservatione maneat receptum esse videtur, luctuosum  
 enim foret majorum prædia in manus extraneorum devo-  
 luta videre, arg. l. 22. C. de adm. & peric. tutor. Spectantur  
 autem hæc dominia quod præferentiam attinet, vel quo-  
 ad se inviceni, vel intuitu extrancorum. Priori considera-  
 tione, agnati in feudo domino, directo potiores sunt,  
 d. c. 2. F. 9. & 2. F. 26. §. Tius & sicut in succeden-  
 do, ita quoque in retrahendo is qui investiturâ  
 comprehensus est, ob jus beneficî primi acquirentis  
 quæsitum & ex voluntate concedentis domino directo  
 præfertur vid. Lynker Decis. 1203. valet enim hoc in-  
 tuitu quod Baldus in l. 1. qu. 43. de rer. div. scripsit: jus  
 vasalis competens, esse quodammodo privativum juris  
 illius, quod ratione dominii directi penes concedentem  
 remansit. Competit etiam hic retractus proximiori agna-  
 to, quamvis feudum non in extraneum sed remoto rem  
 agnatum alienatum sit 2. F. 26. v. prelio reddito 2. F. 3.  
 v. sed etiam res. Quomodo à jure retractus, jus revo-  
 candi feudum differat, docet Strick, d. l. cap. 1. §. 4. In  
 em-

emphyteusi verò haec tenus dicta secus se habere, & dominum directum si velit, quibuscumque agnatis præferri, cum Tiraquello rectè defendit Sutor. *d. l. th. 20.* Berlich. *Dec. 98. num. 15. per d. C. fin. junct. l. 14.* *C. de contr. empl.* *l. 52. pr. fol. matr.* jus enim commune domino prælationem indistinctè tribuit, & consuetudo contra illius dispositionem cognatos ad retractum admittens strictè interpretationis est, ut in minimo alterius juri speciali officiat. Posteriori casu, & quoad alias retractus species, is qui in jure dominii se fundat, præfertur [1] territorialem habenti, cum directi utilesve rerum domini quoad bona illa pro extraneis haberi nequeant, quales tamen solum in *d. l. un. C. non lic. habitat:* excluduntur. Sed & [2] agnati & simultaneè investiti in concursu cum creditoribus feudò sub hastâ vendito, his potiores sunt, potentius enim ipsorum jus & sic fortius operatur, adjudicatio quoque non aliter nisi firmiori jure salvo facta censenda, vid. Lyncker *Dec. 224.* modò creditoribus satis facere aut id quod alias obtulit in continentia præstare velint. *Mev. p. 2. Dec. 172.* Porrò [3] Dominus emphyteuseos quemlibet vicinum excludit, cum eidem invito novus emphyteuta obrudi non possit, *add. rationes jam alleg.* Eodem jure & pari prærogativa gaudet emtor cui dominium directum venditum vel cessum, quamvis enim jus prælationis in re emphyteuticaria alteri cedi non posse asserat Sand. *de cess. act. cap. 5. num. 33.* cum sit personale & officibus ipsius domini affixum, hoc tamen exaudiendum de casu si nudum jus prælationis cedatur secus autem erit, si dominium emphyteuseos directum in alterum transferatur, tum enim jus prælationis simul transferri rationis est,

cum illud non raro contingat, ut aliquid quod per se non est cessibile, cum re vel universitate in aliud transeat.  
 Add. Brunneman. *de cess. act. cap. 4. num. 3.* & 32.  
 Sicut autem ex dominio privatorum ius protimiseos fluit, ita Carpz. *Dec. 105. 209.* jurisdictionem habenti hanc tribuit prærogativam, quod subdit*i* eidem præ extraneo ex æquitate, ad famulitium obstricti sint, in quâ tamen sententia non unâ opus est cautelâ. vid. Manz. *Decis. Palat. Quæst. 13.* & ipse Carpzov. p. 2. C. 51. D. 9. Lib. I. *Reff. 58. 59.*

**I. VII.** Ratione dominii præteriti, illi qui censum sibi reservavit, per extensionem & usus approbationem retractum in re censitica competere afferunt Sutor *th. 124.* Fromman. *Diss. 24. th. 82.* Icti leniens. apud Richt: *Dec. 76. num. 60.* Schilter Ex. *XVI. ad ff. th. 84.* Quorum tamen sententia in jure communī fundata non est, hoc enim eā de re nihil expressit, &c. l. 2. *Cod. in quib. cauf. col. cens.* unicè loquitur de colonis censitis omni omnino dominio destitutis, quorum longè alia, quam nostrorum debitorum censuariorum, fuit conditio, Manz. *Decis. Palat. Qu. XI. num. 30. seqq.* Vix quoque Schilterus quando aliquam Dominii directi partem penes censum constituentem manere statuit, assensum merebitur, cum plenissimum dominium in censuarium translatum esse constet vid. Colerus *de process. execut. p. 1. c. 10. num. 16.* Quamvis enim censum jam tum constituto adversus morosum & detrectantem debitorem utilis actio confessoria comperat Struv. *cum alleg. Ex. 13. th. 53.* Corasius *adl. 16. ff. de Servitut.* cum tamen ne quidem ob servitutem ullibi retractus concedatur, Lyncker. *Decis. 1278.* nihil inde inferri poterit; Quo intentu hujusmodi retractum domino census competere regula-

gulariter negandum, cum Lynckero *Resp. L. I.*, num. 78. & illis quos allegat Müller ad *Struv. Ex. 23. th. 51.* Quoniam verò prius assertum quorundam locorum observantia & statutorum ordinatione potius innititur idque ob memoriam dominii præteriti & ut res ad pristinam suam naturam redeat, quod Dd. versà vice ad casum si census vendatur extendunt, & dominum fundi censitici favore liberationis ad retractum admittunt, ut ex Sandio *Lib. 3. tit. 5. def. 2.* refert Stryck de *success. ab intest.* *Diss. 6. c. 1. §. 7.* Ideo his demum præsuppositis, dominum census, ipsumque censuarium omnibus aliis præferemus. Bocerus: *Diss. 22. conclus. 25.* Knipschild, de *Nobilit. lib. 3. cap. 9. num. 41.*

§. VIII. Multis quoque in locis, is qui partem prædiorum communem censum præstantium possidet, in reliquâ parte retractum habet censiticum die *Zinslösung* & cuilibet emotori præfertur, eo quod integer census singularis prædiis inhæreat & dominus adversus unumquemque possessorem in solidum agere possit, Martin. de cens. cap. ult qst. 2. num. 123. ut adeo huic potius res addicenda, quam extraneus empator illius periculo admittendus sit, maximè quod publica hic sublit utilitas quæ ex unâ potissimum manu censum præstandum esse, suadet. Et si quidem plures in retractu prædii censualis concurrant ille potior dicendus, qui majorem prædiorum partem jam possidet arg. l. 34. §. 2. de donat., nisi alter dupliciture nitatur Sutor d. l. th. 98. Intuitu aliorum verò is qui partem prædii censualis possidet quibuscumque præfertur, uti præjudicio confirmat Lyncker Decis. 373, etiam territorialem, & conventionalem obtendentibus Sutor d. l. thesi 124. Fromman. Disp. 24. th. 82.

§. IX

IX. Ordinis ratio nos vocat ad retractum territoria;  
 Iem die **Markt** losung cuius sedes in t. un. C. non licet habitat  
 metroe. quâ convicanis & eidem metrocomia ad scriptis  
 (quibus hodie non tam illi **die in einem Amt oder Gericht seyn** uti Schilte Exerc. 30. ad ff. th. 37. putat, eò  
 quod v. gr. civis adversus rusticum, & vice versa, hoc jure  
 uti possit, quamvis sit utriusque unter einem Amt/quâm  
 potius **die in einer Einwarterminey oder Marktung wohnen/ assimilantur**, vid. Manz. d. l. Quæst. XI. num. 7.)  
 ut fundum in extraneum alienatum, retrahere possint, ob  
 onera & præstationes publicas ex fundis eò facilius exigendis  
 utilissimo instituto permittitur. Quemadmodum ergo  
 hic retractus jure communi introductus, itâ tamdiu ob-  
 tinebit, donec abrogatus vel non receptus probetur, **Ordin.**  
**Jud. Aut. Tit. 7. & text. à Lauterb. Exerc. For. 1. concl. 1.**  
**alleg.** Et quamvis hodie non adsint metrocomiae (de qui-  
 bus vid. Brunn. in Comment. ibid.) urbibus tamen, pagis,  
 præfectoriis &c. idem jus indulgendum esse, suadet eadem  
 quæ subest ratio, add. Stryck. d. l. cap. I §. XI. unde spe-  
 cialibus quarundam regionum statutis confirmatus & in-  
 formatus est, nominatum Ducatus Wirtenberg. ubi in plu-  
 res species abit. Habent quoque Nobilitatis Imp. imme-  
 diatae membra, in bonis eidem semel incorporatis, simile  
 jus retractus privilegiis Cæsaricis confirmatum vid. Limnæ-  
 us L. VI. J. P. cap. 3. Considerantur autem convicanci  
 in puncto prælationis [1] in ordine ad se invicem tumque  
 vel ut tales simpliciter quos inter locus erit præventioni,  
 arg. l. 9. & 11. qui pot. in pign. ubi vero nulla temporis prio-  
 ritas, nec divisioni locus est, fortis judicio res commit-  
 tenda, Fromman. d. l. th. 85. quod etiam ad res mobiles  
 itemq; officia extendit Sutor d. l. th. 72. 73. & ad parochianos  
 qvoad

quoad subfella Ecclesiastica Mevius Part. 5. Dec. 408. Vel  
insuper ut consanguinei, vicini &c. & duplex vinculum  
fortius erit arg. l. 16. dreb. aut. Jud. De casu si tantum u-  
xor non etiam maritus jus metrocomiae habet, an uxor il-  
lud exercere possit, vid. Harpprecht, Consil. 39. per rot. (2.)  
Considerantur intitu aliorum ex diversis capitibus retra-  
ctum prætendentium, & tum quidem certum jus hoc spe-  
ciale persubhaftationem non tolli, eò quòd rationes d.l un.  
retractum hunc firmantes adhuc militent, & venditio sub-  
hafta sit vera alienationis species l. 3. C. de execut. reijudic.  
Judex etiam sub hafta vendens dominii vices gerat arg. l. 13.  
C. de evict. ideoque licitatoribus omnibus convicanci prä-  
ferendi Philippi de subhaft. cap. 4. comm. 12. ut & conven-  
tionalem habentibus Fromman. d. l. th. 86. consanguineis  
& vicinis Lyncker. Decisi. 1067. & 1133. quod ultimum  
eò magis exinde liquet, dum his iure Romano nullum jus  
retractus competit. Sed quid si infirmius jus habens jam  
retraxerit, an superveniente eò qui potiori jure nititur, ce-  
dere tenerur? affirm. modò intra tempus legale superven-  
iat arg. l. 86. de acqu. hered. Fromman d. l. th. 86.

¶. X. Excipit species haftenus recensitas in ordine  
prælationis, retractus ex iure communionis, sociis, sive  
communionem inierint sive in eam incederint, in parte ex-  
tranco venditá competens, constitutione Friderici 5. Feud.  
13. approbatus, & moribus plerarumque regionum Ger-  
maniae obtinens, adeò ut mandatum sine clausula desuper  
decerni doceat Mevius p. 7. Dec. 44. idemque in fisico rem  
communem vendente obtinere testetur Hefer de bon. com.  
p. 1. loc. 2. §. 53. cum alleg. Minùs rectè itaque Carpzov.  
loco quem Struv. Ex. 23. th. 54 allegat, hunc retractum ad  
cohæredes solum restringit, utut in illarum personā fre-

C

quen.

quentius occurrat, ( quo tamen l. 3. C. com. divid. referenda non est, illa enim non de retractu, loquitur sed quod socius justè licitando, in re qua commoda divisionem non patitur extranum à licitatione excludere, vel etiam judec uni eam rem integrum adjudicare possit, conf. l. 1. C. com. divid. l. 3. de commun. rer. alien. & Struv. Dec. Sabbat. cap. 18. Dec. XI.) Sanè si plures in re communis individua vel commoda divisionem non recipiente concurrant, illi in divisione jus optionis competit, qui majorem illius partem jam possidet arg. l. 34. §. 2. de donat. jura enim divisionem in minimis particulas odio habent, Brunn. ad l. 25. ff. fam. hercifc. num. 10. & ad l. 3. com. divid. num. 14. modo alterius partes non sint favorabiliiores, hinc frater sorte potior, præfertim ubi res à majoribus ejus profecta. Mev. p. 2. Dec. 51. natu minori, Brunn. cent. I. Dec. 87. liberi prioris matrimonii vitrico. Idem cent. 3. Dec. 70. Intuitu aliarum specierum, retractus ex consortio vel communione competens, illis omnibus præfertur Mev. p. 7. Dec. 205. etiam conventionali, ibidem idque ne quis invitatus in communione, ad discordias prona, vivere cogatur.

§. XI. Sequitur institutum methodo, jus protimeseos ex credito, vigore cuius creditores quando bona debitoris judicati exequendi causâ subhastantur, licitoribus omnibus præferuntur l. 16. ff. de reb. autb. jud. possid. enim vero Wissenb. ad ff. p. 1. Disp. 36. th. 12. hanc legem moribus antiquatam existimat, sed hoc in universum afferi nequit, quamvis in Saxonia primus licitor potior sit; Consideramus autem creditores quoque vel inter se, vel quatenus cum aliis in retractu concurrant, prius quod attinet, ubi alii non creditores jam licitatis sunt l. 2. C. si in caus. judic. tum ex pluribus creditoribus eandem estimationem offerentibus,

19

tibus, ille potior dicendus, cui major summa debetur, arg. l. 8. C. quandoe & quib. quart pars. Brunn. in Com. ad d. l. 16. nisi minoris sumæ creditor simul cognatus sit d. lege & l. 60. de pacto. Intuitu verò aliorum creditor præfetur quidem cognato & per consequens vicino, sed ab eo cui retractus conventionalis constitutus superatur, modo intra tempora subhaftationi præfixa interveniat, illo verò clapo, non amplius auditur, sed creditori cui hæc ratione jus plenarium in re subhaftata quæsitum est, prædium adjudicatur, Philippi de subhaftat cap. 4 comm. 12. num. 26. Add. Brunn. in comm. d. l. ubi plura de jure præferentia quoad hunc retractum.

§. XII. Pergimus ad retractum conventionalem (in specie sic dictum) quæsitum habentes illosque intuitu prælatonis consideramus primò quatenus inter se concurrunt, ubi quidem si jus illud duobus aut pluribus conjunctum promissum, bona commodam divisionem recipientia inter ipsos dividenda Richter. Dec. 76, num. 105. Besold. conf. 83, si separati mille hand dubiè potior, cui res primùm tradita l. 15, C. de R. V. Hujusmodi verò pactum ultra Primam venditionem non porrigitur, sed quando hæc Processit illud desinit, arg. l. 89. §. 1. de V. S. Mev. conf. posh. 77. Besold. conf. 251, qfb. 2, ubi de retractu toties quoties res vendatur, per pactum constituto.

§. XIII. Quod verò præferentiam retractus conventionalis intuitu aliarum specierum attinet, duo casus separandi. I. Quando dominus rem suam alienans in casum si illa denuo vendatur retractum sibi reservavit & tum iterum distinguendum an resadhuc sit integra nec ne. Re adhuc dum integrâ non solum creditoribus uti §. 9. vidi- mus, sed etiam consanguineis (in locis ubi retractus gen-

filius in bonis non avitis & noviter quæsitis quoque ob-  
 tinet) & vicinis ex hoc pacto agens præfertur, quod pre-  
 judicio in terminis loquente, confirmat Lynker Dec. 1034.  
 Quamvis enim (1) ratiō refractus gentilii in familiæ con-  
 servatione consitens, valide operari videatur, sive res alte-  
 ri fuerit tradita sive non , & sic tertius contrahendo jus  
 quæsitus his auferre non possit; (2) refractus ex capite  
 consanguinitatis & vicinitatis respectum habeat ad rem  
 ipsam ita ut hæc semper & quocunque tempore maneat  
 obnoxia Richter. Dec. 76, num. 49. Denique (3) consan-  
 guinei ad minimum, in hoc pacto excepti videantur, cum  
 probabile non sit aliquem extraneo jus constituisse nisi  
 cum exceptione eorum in quos potior amor. l. 40, §. 1, de  
 pact. l. 101. de condit. & demonst. indeque concludendum  
 videatur consanguineos aut vicinos, tanquam firmiori  
 jure subnixos, illi qui jus refractus pacto sibi reservavit præ-  
 ferendos esse. Nihilominus tamen quia in concursu plu-  
 rimum jus saltem ad rem habentium prior præfertur l. 26.  
 If, locati utique vero is qui in traditione rei sibi jus potius  
 insecurā rursus venditione reservavit, consanguineos &  
 vicinos in acquisitione illius juris præcedat, omnino dicen-  
 dum , hoc pacto impediri ne quidquam juris quamdiu  
 prior agere potest in hos efficaciter ex illâ venditione trans-  
 seat, maximè cum res hic non ad extraneum planè sed ad  
 pristinum suum dominum redeat, qui non aliter eam in  
 primum emitorum transstulisse videtur quam sub condicione  
 he ut ad se, casu eveniente, revertatur. Nec obstant in  
 contrarium allegata rationes, prima enim procederet, si  
 alias jus consanguineorum non prævenisset; quin si vel  
 maximè consanguineis aut vicinis jus aliquod ex primâ  
 venditione quæ situm foret, illud tamen cum eadem con-  
 ditio

ditione, & pacto contractui apposito factum censembitur,  
ut ita hāc ratione nemini jus suum auferatur. Ad secundam resp: cum haec tenus res ipsa merè passivè se habeat,  
& habilis sit venditorem primum, consanguineos, vicinos,  
& quoslibet alios recipere, nemo autem ex his jus aliquod  
in re natus fuerit, non potest illa uni magis quam alteri  
obnoxia dici, sed de prioritate aliunde, ut vidimus, statuen-  
dum erit. Quoad tertiam, utique emptor in hoc nego-  
tio primum venditorem magis dilexisse videtur quam  
consanguineos, quia aliás in tale pactum quō horum jus  
impeditur non consensisset, deinde est argumentum à  
non causa ad causam, neque enim jus retractus ab illius  
amore aut odio, sed à reservatione venditoris & legis di-  
spositione, qua ob adductas jam rationes venditorem pri-  
mum prætulit, dependet. Quamvis autem Richterus d.  
l. num. 97. dissentire videatur, ad minimum legalem retrac-  
tum conventionali indistincte preferat, nihil tamen in  
contrarium probat præjudicium quod adducit, & loquitur  
illud de casu quando v. c. ædes in quibus Titius venditor  
retractum sibi reservavit, ad unum ex cohæredibus primi  
emitoris perveniunt, licet enim ille ultra suam portionem  
cohæredum partes titulo emtionis acquirat, & aliás divi-  
sio emtionis vicem obtineat l. 1. C. comm. utr. jud. retrac-  
tui conventionali tamen, quia cohæredes non tam à ven-  
ditione, quam à divisione incepérunt & alia à defuncto  
persona non intelliguntur vid. Mev. p. 7. Dec. 205. ubi si-  
milis casus locus non erit, & irà quoque intelligendus Stru-  
vius d. l. th. 49. quando hoc pacto non obstante rem filio  
vendi posse tradit. add. Mev. conf. postib. 77. num. 27.

§. XIV. Re verò non amplius integra sed consanguineo  
aut vicino jam tradita, cum ex hoc pacto contractui bonæ

f. in continentि adjecto non nisi actio contractus adco-  
que personalis oriatur l. 13. § 19. 30. de aet. empt. l. 72. de  
contr. emt. adversus tertium operari aut efficaciter inten-  
tari non poterit. Schilter prax: analyt: de pacto de retrov.  
p. 3. c. 6. § 20. Lauterb. Tract. synopt. de contr. emt. §. 1.  
Mynsing. cent. 6. Obs. 69. num. 6. ubi de praxi Cameræ  
Imp. attestatur. Fallunt tamen modo dicta & contra ter-  
tium aliqua dabitur actio (1) quando pro securitate retra-  
ctus hypothecam in re venditā sibi quis reservavit Lyn-  
cker. d. Dec. 1034. Ubi quidem Brann. in Comm. ad l. 7.  
ff. de distr. pign. Berlich. p. 2. concl. 40. Berger disp. 20. tb.  
26. translationem dominii in alium , hâc reservatione  
impediri per d. l. 7. §. 2. defendant, cui tamen sententiae  
subscribere non possumus, quin potius hoc pacto non ob-  
stante dominium in emtorem cui res tradita transire pu-  
tamus vid. Lyncker Dec. 1210. Jus enim pignoris, quod  
hoc casu primus venditor consequitur, non obstat, quo  
minus plenarum rei dominium in emtorem transeat,  
cum reservatio hypothecae & aliás certissimum translati  
dominii argumentuni esse soleat Mev. part. 4. Decis. 280.  
Hic ergo si posthabito pacto protinilos rem tertio cuidā  
denuo vendat & tradat dominium quidem transfert, sed  
primo tamen venditori, cui in securitatem retractus hypo-  
theca constituta fuit, contra possessorem actio hypotheca-  
ria salva manet. l. 12. C. de distract. pign. l. 10. C. de vennif.  
pign. l. 18. §. 2. ff. de pignorat. aet. Quod verò d. l. 7. §.  
2. de distract. pign. attinet, (de cuius sensu & lectione jam  
olim Bartolum inter & Baldum tantam exarsisse conten-  
tionem ut hic propterea fustigatus fuerit, referit Gomez  
ad pr. Inst. de action. vid. tamen Fichard in vitis J. Forum,  
sub Baldo) illa de casu planè diverso, ubi nimirum credi-  
tor

tor pactus est , ne liceat debitori hypothecam alienare ,  
 loquitur , nec quidquam hic in contrarium efficit . vid.  
 Magnif. Dn. Hert. Op. Tom. 3. Diff. de pacto ne dom. rem  
 alienet §. XI. Huc pertinet cautela Berlichii , quam p. 1.  
 Dec. 123. retractum conventionalem habenti fudderit , ut  
 implorato judicis officio se in illius rei possessionem mit-  
 ti perat , & sic contra tertium emtorem munit , quamvis  
 enim hoc ~~ad qua~~ nullo jure puniti & allegatos à Berlichio  
 Dd. in aliis terminis loqui scribat Brunnem : cent. 2. Dec.  
 7. ipse tamen in Comment. ad d. l. 7. in casu quo promis-  
 sio des Workauß cum hypotheca conjuncta illud ad-  
 mittit . Sed vel maximè (2) fallunt antea dicta , quoties  
 pactum de non alienando juri protimisco conventionali  
 simul additum tum enim quod punctum juris attinet  
 dominium alienatione subsecutā ad pristinum vendito-  
 rem redire , sicque eundem omnibus retrahentibus relicet  
 non amplius integrā potiorem esse , firmiter persuasus  
 sum . vid. l. 48. de pact. l. f. C. de pact. inter emt. l. 114. §. 15.  
 de legat. 1. l. 77. §. 27. de legat. 2. junct. l. 24. de condit  
 & dem. l. 9. de manum. l. 32. de usufr. l. 19. de servitut. &c. In  
 cuius sententia veritatē nunc quidem altius inquirere ,  
 instituti ratio non permittit . Vid. pralaudata Dn. Hertii  
 Diff. §. 15. Lauterb. Colleg. Theor. Pract. tit. de lege com.  
 miss. §. 28. Praxis tamen contrarium constanter fere se-  
 quitur , vid. Dd. ibid. alleg. & Marp. vol. IV. cons. 29. Eun-  
 dene quem clausula de non alienando effectum habet lex  
 commiss. adjecta aut clausula constit. possessorii vid. Dn.  
 Strick. de caut. contr. sect. 4. cap. 3. §. 33. An & juramen-  
 tum : ita quidem Berlich. in conclus. alleg. loco existimat ,  
 sed ex fundamento dudum exploso ac si iusjurandum  
 quo pactum confirmatum vim pignoris specialis habeat  
 aut

aut naturam obligationis mutet vid. Merlin. *de pignor. lib.*  
*2. qst. 100.* cum tamen nusquam bona afficere in jure lega-  
 tur, ut ut personam jurantis arctius constringat. [3] Limita-  
 tionem suggestit Carpzov. *Iprud. For. p. 2. C. 32. Def. 12.* quo-  
 ties tertius emtor sciverit bona ex pacto retractui jam ob-  
 noxia fuisse eumq; tunc ex dolo suo conveniri posse, statuit  
 Hanc tamen sententiā de quā an jure civili congruat Sruv.  
*Ex. 23. tb. 81. subdubit*) tum demū admittendam esse cum  
 Mevio *consil. postb. 19. num. 81.* defendemus, si sequentia  
 tria concurrent. (1.) Scientia certa & qualificata, ut al-  
 terum fraudis participem arguat & m. fidem indicet, (2.)  
 inopia vendoris, ut ab eo quod interest rem alienatam  
 non fuisse consequi haud liceat, (3.) ut tempore acceptio-  
 nis possessio sciverit; vid. Grotius *p. 2. concl. 16. num. 5.*  
 Brünn. *adl. 9. ff. d. t. Klock. Rel. 104. num. 39.*

S. XV. Restat in comparatione retractus conventio-  
 nalis cum aliis speciebus II. Casus, vid. *Thef. 13.* quando  
 conventio talis cum Domino super re sua inita cuiusmo-  
 di pactum locationi frequenter adiigi solet daß wann in  
 den Leyjahren das Haus oder Guth veräußert werden  
 würde daß alsdann der Conductor des Kauffs näch-  
 ster seyn solle. Mevius *p. 2. Dec. 300. p. 7. D. 205. num. 1.*  
 ubi in consultum vocat, tale pactum: Et sanè hāc ratione nec  
 consanguineum nec vicinum excludi posse iuri & rationi  
 omnino conveniens arbitror cum alias vendor faciliter  
 negotio illorum jus inefficax reddere, & bona avita contra  
 intentionem statuti & jus consuetudinarium extra famili-  
 am in aliquem qui nunquam jus in iis habuit, transferre  
 posset. Potius ergo dicendū quod sicut vendor rem extra-  
 neo vendendo in cumque transferendo, cognatos exclude-  
 re, & horum jus in statu familie radicatum præripere non  
 potuit ( vid. Amplissimi Dn. Pagenstecheri, Illustris Dica-  
 steri;

sterii Marburg. Consiliarii Princip. Justin. l. 2. tit. 1. §. 18.) ita nec conductori facultatem retrahendi in illorum præ-judicium concedere potuerit. Vid. Dn. Stryck. de S. A. J. Diff. VI. cap. 3. §. 17. Richter Decis. 76. num. 96. ubi præ-judicium.

§. XVI. Pergimus ad retractum gentilitium, & in ordinem prælationis intenti, ea quæ illius vestigium in S. Codice & gentium aliarum moribus attinent, quomo-do jure civili per l. 14. C de contr. emt. reprobatus (cum antea circa tempora Constantini M. obtinuisse, uti ex Symmachii epist. probabile fecit Gothofr. ad l. 7. C. Theod. de cont. emt.) ut & qua ratione antiquissimis Germ. moribus introductus & constitutione Fridericianâ s. Fend. 13. [quam tamen in Imperio legalem auctoritatem non obtinere, plurimi Dd. statuunt] approbatus, fuit hæc aliaque ad ejus subjectum & objectum pertinentia que Dd. passim largâ manu tradunt, nos pratermittimus, & consanguineos retractum quærentes ex methodi lege consideramus (i.) quatenus inter se concurrunt, ubi trita se offert quæstio, an proximior retrahere possit quando res in remotiorem alienata? quam in genere cum Struv. Ex. 23. th. 59. affirm: quamvis enim hoc casti ratio hujus retractus ut res in familiâ maneat, cessare videatur, jus tamen consanguineo retractum concedens non solum familiam, sed & proximitatem in ea convenienter successioni ab intestato resipisci, siveque proximum excludere remotiorem in conflicto defendemus. Vid. tamen Stryck. d. l. cap. 3. §. 14. ubi contraria quorundam locorum statuta allegat. Huc pertinet notabilis ille casus quem Martinus Pe-gius vom Vorkauf lib. 2. cap. 34. format: Titius retrah-

D  
est,

hens venditori in quarto gradu consanguinitatis junctus est, nascitur autem intra tempus retractui præsinitum ex venditoris fratri defuncti vidua filius, quæritur an hic Titum à retractu excludere, & ejus nomine res avocari possit? quod affirm. modo tempore venditionis celebratae jam conceptus fuerit cum sic omnia jura in tempus na- scendi integra retineat. l. 3. ff. si pars hered. pet: Quam tamen limitationem solum in filio ipsius venditoris non alterius cognati admittit Dn. Stryck. d. l. cap. 3. §. 40. sed huic etiam post venditionem demum conceptus fuerit indistinctè jure transmissionis prælationem concedit; Quæ sententia si facultatem retrahendi jure hereditario per patrem in filium transferri statuamus probabilis evadit, valde dubia autem redditur, quando consideramus quod filius non quâ hæres patris est, & jure ab ipso acquisito sed quâ quilibet de familiâ ad retractum vocetur vid. Struv. d. l. th. 56. quomodo enim is, qui tempore instituti à Tilio retractus nec dum in rerum naturâ fuit, huic jus quæsitum auferre poterit, vid. l. 1. §. 8. unde cogn. l. 6. de in- just. rupt. irrit. l. 6. de suis & legib. Reliqua concursum consanguineorum inter se attinentia cum ab aliis & novissimè Dn. Stryck d. l. jani satis discussa sint, nos securè prætermittimus.

§. XVII. Quoad concursum retractus gentilitii [2] cum aliis Speciebus, nil amplius restare videtur, quam ut eundem cum jure congrui & reunionis contendamus; Est autem vicinus consanguineo, ob fortissimum sanguinis vinculum omnino inferior dicendus, quamvis enim cum Afficto Besoldus conf. 277. num. 25, contrarium asterat, ejus tamen rationibus oppido infir-

infirmis satisfecit Richter. *d. l. num. 28.* add. Lyncker.  
*Decis. 1136.* cui accedit quod etiam in saepius memoria-  
tō, textu *s. Fend. 13.* eidem postponantur, quamvis e-  
nim Constitutionē illam in Imperio vim juris communis  
non habere largiamur, illā tamen auctoritate privati  
non poterit, quā jus civile inter populos, à quibus haud  
receptum, suspicitur. Ubi verò non simplex adest  
vicinitas, sed ad reunionem partis olim contiguae insi-  
mul agitur consanguineum omnino excluderet. Lyn-  
cker. *d. Deci ubi præjudicium maximè ob utilitatem*  
*fisci & tributorum.* Schilter. *Ex. ad ff. 30. th. 36.* Il-  
lud denique addimus, quod quamvis retractum gen-  
tilium generali in mundo consuetudine obtinere scri-  
bat Brunn. *ad d. l. 14. C. de contr. emt.* cum tamen  
multa in Imperio sint loca ubi nulla ejus ratio habetur  
in dubio ejus observantiam ab allegante omnino pro-  
bandam esse, Hahn *de contr. emt. num. 6.* Lyncker  
*Decis. 1265.* Strick. *d. l. Cap. 1. ibique alleg. præjud.*

§. XVIII. Agmen claudit retractus ex capite vicini-  
tatis quando non extantibus, aut nolentibus consan-  
guineis vicinus ad rem immobilem alienatam, ab ex-  
traneo redimendam vigore consuetudinis quæ ab alle-  
gante itidem probanda, admittitur. Et quidem si plu-  
res sint vicini, is qui ex maiore parte vicinus est præ-  
fertur Sand. *lib. 3. def. 5. Det. 9.* cum discrimen etiam  
modicum ad incommoda communionis evitanda suf-  
ficere debeat. Si autem ex minori parte vicinus par-  
ter sit emptor, ob duplex jus alteri præferetur Sand. *d.*  
*l. Hüber ad ff. rubr. de jure retract. th. 21.* Inter pares, utrin-  
que vicinos locus erit præventioni. Ad instat vicini suc-  
cessō-

cessorem in officio quoad supellecilem antecessoris sui  
emendam potiorem esse tradit. Brunn. *Jur. Eccles.* lib.  
2. cap. 15. §. 6. Hec pro instituti ratione ut aliquale  
studiorum specimen, iussu Parentis mei, ederem de diffusa  
hac materiâ dixisse sufficiat, Tu Lector Patrone & Ami-  
ce hosce meos conatus æqui bonique consule, & à ma-  
turioribus annis ubi Deus iis frui, & studia per biennium  
spatium in illustri hac Academia exulta, absolvere cle-  
menter concederit, maturiora quoque expecta.

## COROLLARIA.

### I.

**Q**VI primas Francorum sedes, in Franconia,  
querunt, perinde errant ac si cum Greg.  
Turon. lib. 2. cap. 9. cosdem è Pannonia digres-  
sos, dicarent.

### II.

**C**ertum enim regionem illam olim non Fran-  
coniam dictam sed partem Alemanniae fuisse,  
et demum post famosam Clodovæ victoriam an-  
numque 496. novum nomen accepisse.

### III.

**F**rancos non à libertatis studio, sed ab antiqua voce  
Germ.

470 ( - 29 ) 476

Germ. Branghe asperum, ferox, notante, denominatos Wendel. in Glossar. existimat, quæ conjectura inde probabilis evadit, quod jam apud Aimoinum lib. 1. cap. 1. aliosque S. R. G. ejus fundamentum reperiatur.

IV.

Imperium Rom. Germ. re ipsæst Francorum regnum, ut ut splendiore charactere sit insignitum.

V.

Non ergo lacinia est antiqui illius Romanis, quod crevit sub Augusto, stetit sub Trajano, defuit in Augustulo.

VI.

Fuitque primis temporibus etiam sub Saxon. Imp. E<sup>3</sup> deinceps ad Conradum III. usque non electivum, nec mixtum sed merè successivum.

VII.

Injusta Judicis sententia absolutus, sicut alterius nihilominus per errorem solvat condictionem habet indebiti Diff. Comp. Lauterb. pag. 202.

VIII.

## VIII.

*Actionis Publicanæ fundamentum non est  
fictum dominium sed qualificata possessio.*

## IX.

*Vendori competit remedium legis 2. C. de  
R. V. etiam si res apud eumtorem perierit.*

**P**ugnat letiferis pubes dum Martia telis  
Ingenio certant officiisque Scholæ  
Præmia sunt illic mutilatio vulnera cædes.  
Hic falsum salvis partibus omne cadit.  
Hanc magis humanam sequeris quod Amice, palæstram  
Gratulor & constans auguror inde decus

*Honoris & benevoli affectus testandi causa  
apposuit.*

**C. de RUMOHR**  
*Eques Hols.*

**I**n genium, ars, usus, nihil insuperabile norunt,  
His Sophie, his Leges, his Sacra cuncta patent,  
Hæc Tibi, Christiade, cum constent omnia, quis non  
Cernit ad eximium Te properare decus,

Perge

Perge ita supremi sub Numinis ire favore,  
Non patitur gratis se Themis alma coli.

Hisce Eruditissimum Dn. Authorem  
gratulabundus excipit.

W. de AHLEFELDT

Eques Hols.

Uff Schweiß und Fleiß folgt Ruhm/nach Krieg und Siegen Ehr/  
Die Last befrönt die Lust; und wann auch das nit wer/  
So bleibt doch dis gewiß: nach Kunst/ Fleiß und studiren  
Erblickt man erst den Krang darmit man sich kan zieren.  
Den hält auch jetzt Herr Christ der werte Musen Sohn/  
Glück zu dem zu dem Ruhm! Glück zu zur Ehren Kron.

Dem Herrn *Autori*, wolte hiermit wohl  
meynend gratuliren

Hermann Wilhelm Wolff  
de GUTENBERG,

Eques Hasslus.

Dum cathedram Themidos denuo concendis,  
Amice,  
Multorum votis *gratulor* addo meum.

JOH. HENRICH BECKER,  
LL. Stud. Dusseldorpensis.

Hacte-

**H**Astenus assidue doctorum Sacra Sororum  
Perlustravisti, *suavis Amice*, satis.  
Non mens curarum, quēis gaudent artis amantes,  
Mutavit mentem; Non onerosa satis  
Teprocul absentis revocārunt tempora messis,  
Nec Telassavit grande laboris onus.  
Hinc jam Doctorum Te ascendere cerno Cathedram,  
Hinc edis specimen de probitate Tuā,  
Destudiis summis, quibus huc intendere mentem  
Mens fuit, & Legum jura resolvis. Jo!  
Persta Thespiaenum Lux præstans, perge, Sororum,  
Ac defende Tuas cum gravitate Theses.  
Intercā Domino Genitori grator amando,  
Cujus adimplendo spem bene gratius eris.  
*Grator & ipsi Tibi* de sedulitatis honore,  
Tempora qui cingit: *Grator & ipse Tibi!*

Ita DoMINo AVtorI accInebat

J. H. SCHOTT E, LL. Stud.  
Grebensteinensis Hassus.



Marburg, Diss., 1708-18

f




IA-70L

nur b verknüpft

VP18





## Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
1	2	3	4	5	6	7	8	9
10	11	12	13	14	15	16	17	18
19								

B.I.G.

Acad. Typogr.

DIS  
THEO  
UIT  
VER  
ASSIST  
*In Inchy*

JOH.

J. U. L. &  
MOR.

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALIE  
ERNE

Typis exprimel

AORDIN.  
NARII,

X.

IRIST,